



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VII. De eius & aliorum qui ab ipso exitus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

recte intellectum interpretarentur, eosque rebaptizarent: ut qualiter regnum cælorum adipisci non possent. Multis iam sæculis vniuersum Mundum à Papa fuisse seductum. Sed & Lutherum dum omnia interpolare velit, omnia corrupisse. (a) Vnus eorum, Knipperdolingus nomine, nihil scilicet nisi sapientiam vt sibi videbatur exhalans, (ego stultitiam dicam aut impietatem) obuijs in os insufflauit, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*. Mira quidem, inquires, res. Sed tamen talis, quam eandem veterem hæreticum Marcum fecisse, Irenæus lib. 1. restatur. Missi isti, noui Apostoli, plerique capite diuersis in locis multati sunt, ac vnus tantum ad regem est reuersus. Idem in Hollandiam postea alios ablegauit, nimirum Iacobum Campeium, & Ioannem Matthiam, quorum opera Anabaptismus ibi valde fuit propagatus, vt & in Frisia, quo Ioannes Galleus missus fuerat. Quocumque illi venerunt, magnæ animorum mutationes ac turbæ exortæ sunt, præsertim Amsterodami, vbi tres de nouis illis Euangelistis, tamquam Spiritu S. correpti, per plateas discurrerunt, primus clamans, *Ciuitas noua est Dei infantium*: secundus, *Pœnitentiam agite, emendate vitam*: tertius, *Maledictio super omnes malos*. (b) Quæ præterea sub nouo huius regis ac Prophetæ regno contigerunt omitto: vt quæ ab Henrico Dorpio, Lamberto Hortensio, Kersebrochio, Bolando, & Arnoldo Messhouio accurare ac prolixè sunt descripta.

VI. Occupato, vt diximus, ab Anabaptistis Monasterio, Germaniæ Principes, vicini præsertim Episcopo Monasteriensi Francisco Waldeccio, ciuibus que exulantibus auxilia decernunt, ac post inauditam fere famem (nam & infantes à parentibus comestos Coruinus scribit) urbem in potestatem redigunt, capto inter alios ipso quoque rege, & augendi supplicij ac terroris cæteris Anabaptistis incutiendi causa per diuersa loca circumducto. (c) Per hanc occasionem, Landgrauij concionatores cum eo sermonem contulerunt ac disputarunt, de regno Christi, de Magistratu, de Iustificatione de Baptismo, de Cæna, de Incarnatione, de Coniugio; eoque illum tandem redegerunt, si Sleidano credimus, vt in plerisque assentiretur, & quidam assentiretur quippe ex eodem ouo Luthero prognatis. Aliàs ex domesticis Monasteriensium historijs constar, peruicacem alienumque à Catholica fide Spiritum retinuisse, nam ad Episcopum adductus & rogatus, qua fretus auctoritate regnum sibi in ciui-

tatem ac populum arrogasset, respondit, se diuinitus eò vocatum, hancque voluntatem vni ex Prophetis suis Deum manifestasse. Merito igitur Coruinus (& ipse Lutheranus æque ac Sleidanus) qui huic disputationi interfuit, Sleidanum imposturæ arguit, scribens eum in plerisque suis erroribus perseuerasse. Sic enim scribit: *Bone Deus, quas nugas ille nobis de regno Christi temporalis afferebat, vnus ad hoc testimonijs quibusdam ex Apocalypsi positus. Quanta obstinatione in errore de paruulorum baptismo persistebat! quem à Papa institutum aiebat. Neque ab hoc errore dimoueri potuit. Et quemadmodum pertinacia vltimum est ignorantium refugium; sic ille mille potius mortes subiturum se dicebat, quam ab hac opinione discedere. De Cæna Domini rogatus, confessus est, initio se cum Zuinglio & Zuinglianus sensisse; sed diuinitus postea sibi reuelatum, Lutheri opinionem esse meliorem. Iudam vero Iesu Christi corpus recepisse ac comedisse, aut quemquam impium id recipere, præfracte negabat. (d) Instansibus, Sacramentorum virtutem non à nostris meritis sed verbo Iesu Christi dependere, nihil aliud respondere potuit, quam quum ipsi crederent quod vellent, permitterent sibi quoque credere quod maxime verum videretur. Vnum quemque suo sensu abundare. (e) Credere in Sacramento hoc esse Corpus Christi, atque non in usum impiorum, sed piorum. Ad humanam Christi naturam quod attinet, eum ex Maria Virgine natum facebatur, sed eo modo quo Sol per vitrum traducet. Vbi vero scriptura testimonijs vitium se sensit: Lutherani, ait, valde caci sunt atque imprudentes, qui si meam velint amplecti sententiam, omnium argumentorum quibus Zuinglius in disputatione de Cæna vitium vim euanescere videbunt. De Polygamia passus est, eam rem esse noui exempli nunc. (f) Quum vero Deus eam in veteri Lege SS. Patriarchis pro peccato non imputarit, se quoque Eleasam pro peccato non imputaturum. Si tamen à magistratu prohibeatur, ei obediendum esse. In eo enim quod magistratus auctoritatem ac potestatem, siue boni siue mali, in dubium reuocasset, errorem suum passus est. (g) hoc quoque vnum caput retractauit, nisi quod de Iustificatione idem fere cum Lutheranis se sentire declarauit, hominem scilicet sola fide iustificari. Reli-*

N

qui  
a Sur. in hist. com. an. 34. fol. 235 & seq. Cochl. in Act. pag. 287. Kersebr. histor. Monast. b Hortens. fol. 61. b. 3. Dorp. & Kersebr. hist. Monast. c P. Heut. lib. 1. hist. Belg. p. 491. Sleid. lib. 10. fol. 237. d. cent. 10. Osiand. cap. 31. lib. 2. fol. 235. & seq. d Id. docet Caluinus. c Hortens. fol. 7. & Boland. lib. 3. & 4. f Osiand. cont. 16. cap. 32. lib. 2. fol. 2. 9. g Eder. inquisit. Euang. pag. 52. Bucchinger in Chron. Eccles. fol. 340.



qui enim Anabaptistæ, vt in Oecolampadij disputatione & apud Gallium (a) videre est, docent nec Christi meritis nec Fidei omnia, sed aliquid etiam bonis Operibus tribuendum esse. Maior vero fuit sociorum ipsius Knipperdolingi, & Krechtingi obstinatio, vt qui nec vllum delictum faterentur, & sua ad extremum pertinaciter defenderent.

Quum supplicio constitutus dies venisset (Anno 1536. mense Ianuario.) admonitus Rex vt peccata sua fateretur, seque ad mortem pararet. oblato ad id sacerdotis ministerio, non recusauit. (b) Longum vero cum eo sermonem habuit Ioannes Siberus, à quo Coruinus illa de Regis in erroribus, ac potissimū de baptismo & humana natura Christi, perseuerantia, accepisse se scribit. Sed nec Knipperdolingus, nec Krechtingus vllam admonitionem admittere voluerunt; mirabili nihilominus constantia, vel rabiosa potius contumacia in medijs tormentis, ob Christi amorem se mortem oppetere gloriantes. Sic igitur ignitis forcipibus, quæ ad perpetuam scelerum detestationem vncis & plumbo ad columnas Curie Monasteriensis ciuitatis affixæ visuntur, lacerati atque excarnificati, infelices tandem animas efflarunt (c) ad altissimæ iuxta forum, in quo multoties peccauerant, turris peribolum exaltati & ferreis caueis seu clatris, ternis inclusi, tanquam fera intra caueas computruerunt. Hunc progressum & exitum habuit, Monasterio Westphaliæ submissum à Landgrauio Hassiæ Novum de subscamno & pulvere erutum Euangelium. post cuius experimentum Vrbs eadem altius sapere cepit, facta domicilium insigne reducis in eam Catholicæ religionis. Sed non cum istorum vita, secta quoque extincta fuit, vt quam alij in locis iam altas radices egerat. Rotmannus maximus in ea vrbe hæresis author desperatis rebus, in mediam hostium aciem cum vrbs caperetur incurrens, voluntaria morte supplicium præuenerat alias paria cum Rege supplicia luiturus. Post hæc multi alij quoque e plebe varijs supplicijs absumti sunt, tanta plerorumque peruecacia, vt vix credibile fieret eos qui tam alacriter mortem pro sua fide subibant, tantorum criminū, quæ ipsis imputabantur, reos esse. Sed habent etiā peccatores, cum in profundum venerint, duritiæ, constantiæ simulatricem, vt ille latro, cuius ossa cum frangerentur securi, ad carnificem conuersus vultu erecto, aiebat; parum abest vt ea ratione pedes in idoneos reddas. Lutherus (d) vero apud Principes & iudices publico scripto pro ijs vt pote

filijs suis intercessit, valde hanc miserorum carnificem sibi displicere inquit: quum unicuique qua velit credere liberum esse debeat. Quod si quis non credat qua debet, eum satis superque in sempiternis illis flammis supplicij daturum. Frustra ergo temporales penas infligi. Sic Petillanus quoque apud S. Augustinum dicit: Absit à nobis tanta conscientie obliuio, vt quemquam ad nostram religionem velimus cogere. Et apud eundem Gaudentius itidem hæreticus: Nos, inquit, vt quemquam apud nos retinere nolumus, vt qui didicerimus neminem ad fidem Dei nostri cogendum esse. Consilium hoc Lutheri de Anabaptistis non vexandis sequuti sunt Brusselii in suis Pandectis, Urbanus Regius in Locis communibus, & Brentius in prologo qui ex professo ea de re editis libris asseruerunt, eis vitam non modo non adimendam, sed conscientie quoque libertatem permitendam esse. Atqui non hæc Lutheri mens fuit, quum amici & patroni sui factum, quo is Iudæum artificiosè vt putat, homicidio iniquissimè ad cælum demiserat, tamquam heroicum & vere Christianum laudauit, qui in impijssimos homines Dei & hominum perduelles reos & euidenter conuictos per magistratū iure procedi reprehendit, tantus fuit ille vertumnus. & qui iam ante manus voluit & iussit in sanguine innoxio Papæ & Cardinalium lauare Imperatores & Reges, is ignibus & rotis dignos iubet liberos dimitti. Opudendū Euangelistam res vero cum Iudæo gesta & à Luthero laudata eo modo perscribitur.

Franciscus à Sickingen, Landtalli toparcha Lutheri, vt Sleidaus ipse testatur, valde studiosus miles, dū per Mœnum fluuiū Francofurti Moguntiam descendit. Iudæum in eadem nauis nactus, de religione disputare cepit. Quum Iudæo verba quædam liberaiora quam vtriusq; conditioni conueniret, excidissent, Franciscus, vt erat magnis viribus, hominem medium arreptum de nauis in flumen proturbat, manu tamen suspensum tenens, eum in clamabat vt Iesum Christum pro Deo & seruatore suo agnosceret, ac baptizari se pateretur, nisi aquis velle suffocari. Iudæus mortem præsentem ob oculos videns, misericordiam implorans, Iesu Christi nomen profitetur, ac baptizari petit. Ibi Franciscus haustam caua manu è flumine aquam ter capti eius inspergit, addita solenni for-

a Lib. 1. fol. 248. b Heuter. lib. 11. fol. 491. c Sleid. lib. 10. fol. 238. Hortens. lib. de Anab. fol. 81. l. 1. Bulling. lib. 2. de orig. Anab. cap. 11. d Luth. Tom. 4. Germ. fol. 319. b.



Formula, *Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Baptizatum inde extracturum simulans, miserum hominem in imum detrudit & submergit, aieus: *se hominem hodie Deo lucrificasse, & ad calum misisse, qui se euasisset inde, ac spacium colligendi se habuisset, proculdubio olim ad Diabolum recta iterus fuisset.* Factum hoc tanquam crudele plerique detestati sunt, Lutherus tamen laudauit. Erat enim hic vnus ex ijs qui VVormatiam ipsum deduxerant, & causæ eius imprimis fauebat (a). Sed iam ad 11. caput transeamus, in quo ordinem & politiam Sathanicæ huius Synagogæ, & singulares quosdam Anabaptisticæ Fidei, è Lutherana & Zuingliana doctrina compositos articulos sum descripturus.

## DE SYNAGOGA ANABAPTISTARUM, & præcipuis ipsorum fidei articulis.

### CAPVT III.

#### ARGVMENTVM.

- I. *Anabaptista S. scriptura vtuntur more omnium hæreticorum.*
- II. *Ordo qui in ipsorum catibus & Pastoribus obseruatur.*
- III. *Fides Anabaptistarum in plerisque nouorum Evangelicorum fidei est conformis.*
- IV. *Forma quam in Cena sua obseruans.*
- V. *De ipsorum Baptismo & Matrimonijs.*
- VI. *Lutheranos & Zuinglianos Anabaptistas solus scripturus vincere non posse.*

I. OMNES hæretici pro fundamento suorum opinionum hoc axioma vtuntur, *Nihil credendum necessario aut faciendum esse, quod non sit scripto Dei verbo expressum.* Hoc enim speciosissimo pallio diabolus illusiones suas semper velare consuevit, vt Cyrillus iam suo tempore notauit. Et vero nulla vnquam tam absurda fuit religio, quæ S. Scripturam pro se non allegarit? Certe omnes æquæ Noui sæculi istius Euangelicæ nihil nisi scriptum Dei Verbum admittunt. Hoc verbū clamant & tonant, sed plebem incautam illo pulchro prætextu mirifice deludunt, (b) litterarum tantum corticem lambentes, ac suæ ipsorum commenta ad id interpretandum afferentes, neglecta interim Ecclesiæ interpretatione, quam illi calumniantur esse hominum erroribus obnoxiorum congeriem

*& consequenter eandem non esse Spiritus S. organum, aut Veritatis sedem, sed in doctrina quoque errare posse: Traditiones vero & Cæremonias hominum esse inuenta, primitiua Ecclesiæ incognita.* Et hoc vnum quidem axioma pes est & caput totius Anabapticæ religionis. Ac quamuis plerique omnes indocti sint & plusquam Arcadica pecora stupidi, tertio tamē quoque verbo sententiam aliquam è scriptura adspargunt; sic vt nonnulli D. Pauli epistolas aut alios S. Scripturæ libros ad vnguem tenere videantur: è quibus formam sui Baptismi, communionem bonorum, & puritatem suæ Ecclesiæ probare contendunt, more cæterorum hæreticorum. Itaque vaficie istâ, qua litteras Sacrarum Scripturarum mirificè laudant & in cælum extollant, sensum verum genuinum à Deo intentum, & Ecclesiæ suæ successiue reuelatum deserunt, eius in locum substituunt suam, quæ ipsi elegerunt sensa & affectus, eo res iam apud ipsos deuenit. Eôn rem redijisse, vt nullum vlcus tam putidum ac purulentū sit, cui non è S. scriptura emplastrum quærarunt! Vide mihi Lutheranum istum, qui ebrietatem Deo placere è S. scriptura probare voluit, edito Lipsiæ libro cui titulum fecit *Negentenbuch*, & Mansfeldiæ Comitibus dedicauit. (b)

Vt vero Anabaptistæ S. scripturæ libros in manibus, ita nomen Christi in ore frequenter habent; eodem modo quo illi de quibus S. Ignatius dicit, quod licet Christiani non essent, Christi tamen nomen vbique etiam in popina prædicent; aut illi de quibus D. Paulus ad Philippenses 1. capite loquitur. In Lauffensi Colloquio Anabaptista quidam Lutheranus Ministro eum obiurganti quod vix legere S. Biblia peritus, ea interpretati præsumeret, respondit: *ab eodem Deo qui rudem piscatorem S. Petrum erudiuit, mihi reuelata sunt, que spectant ad salutem. Quacumque lego, Spiritu S. interprete intelligo; nec vllus in animo meo scrupulus restat. An falli possim, si textum sequar à Deo nobis traditi Euangelij: Proximo iniuriam non facio, non blasphemus, non iuro, non fero arma; cœnâ Domini ad eum modum quo à Christo instituta est celebros; Fidem ante baptismum esse debere credo. Annon hoc est vere Apostolos imitari?* Quam multos homines credulos

N 2 his

a Selnec *histor. Aug. Con. pag. 17. bV. Mysterium Fraudis prædicantica Colon. excusum auctore Hieron. Mulmanno. c. Lege Fern. lib. 1. cap. 10. de ebriet. Mashenes. &c. d. Vide l. Munch in colloq. Alber. contra Carolstad. Luth. lib. de calest. proph.*